

Q. D. B. V.

AMORIBUS
SELIGMANNNO-
KISLINGIANIS,

POSTRIDIE NUPTIAS

D. XIV. SEPT. MDC LXXIX.

PLAUDENDO, VOVENDO,
LUDENDO,


UT PAR EST, ACCEDIT

CHRIST. WEISE, GYMN. RECT.



ZITTAVIÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI



BEATUS VIR

Qui Felicitatis fundamentum posuit in SILICE.

Is nec arenarum ruinam domi,
nec procellarum vim metuit foris.

Is immoto gaudens Palatio,
immotos etiam tempestatibus affert oculos;
nec tam judicat pericula,

quam animum singulis periculis superiorem.

Inviolabilis est, quia fati contemnit injurias:
Invincibilis est, quoniam extra se non quaerit victoriam:
Immortalis est, quia mortalem non habet constantiam.

Uno verbo,

Beatus est, quoniam alia non desiderat.

Pene dixerim, SELIGMANNUS est.

Huic enim quando defuit SILEX?

Sive meritissimum spectes PARENTEM,
sive laudatissimum industriae cursum,
sive Sponsam, quasi a Silice dictam, KISLINGIAM?

PARENS

Ecclesiae ornamentum, alios non optat Auditores,
nisi quos fundari deprehendit in PETRA CHRISTO,
omnibus filicibus firmiore.

Ab hoc FILIUS didicit Beatam Vitam,
cum agnosceret Beatitatis Auctorem;

Hujus Pietate monitus quietem sibi pollicetur nullam,
nisi cum substernitur Silex.

Inde vidisses in studiorum primordiis fervidum,
nec frigidiorum in progressu,

ne Silicem i. e. Constantiae officium desereret.

Nunquam sui dissimilis in Scholâ,

Imo sui semper dissimilis in Academia,

quod eadem Constantiae lege, singulis diebus evaderet melior:
adeoque

in Virtutis, Pietatis ac Eruditionis silice,
firmiora subinde reperiret fundamenta.

Ad alias abiit Gentes,
non ut mutarerur,

sed ut sub istis caeli mutationibus, animi robur elucesceret.

Multa didicit, multa tentavit,

ne tamen, dum aliena cognosceret, fieret ignotus sibi.

Gna:

Gnarus 'constantem non esse gloriam,
quam curiositas omnino quotidiana non sustentaret.

Ita sublimem eruditionis tesseram,
Saxeï Palatii, non vertumnam, sed cuspidem
publicis exposuit oculis,
non sine omine,

Fore ipsum in quærenda Juris puritate,
h. e. in promovendis hominum commodis
porro constantissimum.

Ita neutrum deserturus Silicem,
Totum se offert KISLINGÆ,
qui totum se consecravit Deo, totum melioribus Studiis,
Tribus nimirum Silicibus est opus,
si quis tribus inniti velit columnis:

Dei Gratia, Hominum Favore, Amoris Svavitate.

Illam non acquisivit, sed donatam accepit Pietas;

Istam conciliant sive mores, sive literæ;

Hanc fovebit stabile complacendi desiderium.

Et magna verò BEATITUDINIS portio,

PARENTES utrinq; suis votis superstites

Felicitatis habere spectatores; ac Fautores.

Utinam experiantur

Constantiam augeri posse, cum abit in melius,
non minui, quippe quæ vocari nequit in deterius.

O vivant, donec dulce est spectare viventes;

Moriantur, ubi ad vitam educatos adspexerint nepotes;

Utrobique gaudeant, quia per tot furculos mori non poterunt,

Ipsam verò Par

Præfagio BEATITATIS Nobilissimum

A Silice discat Constantiæ Exemplum.

Quæ vocari desinet KISLINGIA,

Nihilominus in silice collocatam ostendat SELIGMANNIAM.

Formam non mutet ætas, nec animum satietas.

Primæ noctis blanditiæ in silice scribantur,
ut easdem repetat successiva noctium benignitas.

Sit CHRISTIANÆ CHRISTIANUS,

Sit GRATIOSÆ JOHANNÆ CASPAR,

nihilq; thalamo, velut nobilissimus Scriba, inserat
quod non sit Gratiofum.

CHRISTIANO filex erit Pietas,

CASPARI industria

JOHANNÆ benevolentia.

Sic Beatos laudabunt, qui favent KISLINGIIS,

Siliceos vel Adamantinos gratulabuntur, qui amant SELIG-
MANNOS

In-

Interim Venus e spumis nata
 amatorium hunc miratur filicem,
 qui quo durior, eo ad eliciendos ignes promptior:
 Ac adeo dulcissimas Constantiæ leges promulgatura,
 me, inter tot Scribas, ut vocant, occupatum,
 esse jubet amanuensem.
 Ut sint constantes: novæ semper intercedant deliciae:
 Ne vana sit novitas, reciprocus amor efficiat:
 Ut audiant gratiosi, nunquam redeant in gratiam:
 Imo ut lusus emergant dulciores, aliquando videantur
 rediisse in gratiam,
 siquidem attritu filicis elicitur flamma,
 levi amantium contentione firmatur amor.
 Dissimulent gaudia sibi notissima,
 quæ citius non innotescant, nisi cum dissimulari non poterunt:
 Antequam reliqui intelligant Felicitatis initia,
 jam cogitent de eventu:
 Sciant tamen Parentes, quantum gaudere debeant:
 Imo nesciant, ut inter spem & metum, quasi dubias
 gaudendi imagines, efforment.
 Ut Hospites tria bibent Pocula, primum Siti,
 alterum Gratulationi, tertium Lætitiæ;
 Sic tribus noctibus tria degustabuntur oscula,
 Primum desiderii, alterum dulcedinis,
 ultimum fœcunditatis.
 His defuncti dormiant, sed ut solent Eruditi,
 nunquam ultra horas quinque.
 Singulis vero diebus digressi è thalamo exclament:
BEATUS POPULUS CUI HÆC SUNT:
BEATUS POPULUS CUIUS DOMINUS DEUS EJUS

